


tem præcipuam spectâsse, adhærentium defectuum causas, postea declarandas, evidenter pernoscentibus.

IV. Ex habitis huc usque circa aquam, in Tubo illo grandiore ex altitudine sc. 30. pedibus notabiliter majore delabentem, circa trigesimum autem vel 31. pedem subsistentem (quia scilicet externi aëris pondus sub altitudine majore ipsam sustentare non valet) ostendimus in Auctar. Tentam. VII. Part. I. p. 64. non potuisse unquam stare promissis suis, *Heronem*, *Portam*, aliosque, qui ex una valle in oppositam aliam, ope siphonis reflexi, aquas trans altissimorum etiam montium cacumina derivaturos sese receperant: Repleto enim desuper ope infundibuli B utroque siphonis crure BA



& B C infernè clausis, ex eorum præscripto, si postmodum, infundibulo B sollicitè obturato & contra aëris ingressum munito, epistomia ad A & C referentur, necessum est, vi Phænom. superius num. II. iteratò commemorati, aquam in utroque crure à B ad D & F usque delabi, & ibi demum subsistere sub altitudine DE vel FG 30. circiter pedum, si quidem utrumque epistomium aquæ stagnanti mersum fuerit; sin alterum C in aëre aperto constitutum fuerit, neque nimis